

Zc  
7704





Q. N. 120, 8.

Zc  
7704

AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
**FRIDERICI AVGVSTI**  
ELECTORATVS SAXON. HEREDIS

**THOMAE  
MVNZERI**

ELOQVENTIAM INEPTAM

PRAESIDE

**IO. GVILELMO BERGERO**

ELOQV. ET HVMANIT. P.P. ET ALVMNORVM  
REGIO-ELECTORALIVM EPHORO

DIE IVLII A. M DCC XIV.

GENERATIM EXPONET

RESPONDENS AVCTOR

**M. CHRISTIANVS GVIL. AVRBACHIVS,**  
MOLHVSINVS.

1714

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
SACHSEN-ANHALT

BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

---

VITEMBERGAE SAXONVM  
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI.

REGTORIS MAGNIFICENTIAE  
SERENISSIMI PRINCIPIS  
FRIDERICI AUGUSTI  
ELECTORIS SACRI ROMANAE IMPERII

THOMAE  
MUNZERI

ELECTORIS SACRI ROMANAE IMPERII  
IO. GUILIELMO BERGERO  
ELECTORIS SACRI ROMANAE IMPERII  
MAGISTRO



RECTORIS SACRI ROMANAE IMPERII  
M. CHRISTIANO GALL. THEOLOGICO  
MAGISTRO

ATTENDERE QUONIAM  
LIBERIS IO. GODEFRID. MEYERLI





PRAEFATIO.



Sapienter, ut multa, dixit Romanus ille  
ex porticu sapiens: *Fere quibus quisque  
moribus praeditus est, eos transfundit in  
suam dictionem.* a) Idem videtur uoluisse  
dicere, quod Diogenes Laertius, qui  
b) *λόγον εἰδωλον τῶν ἔργων*, orationem, si-  
mulacrum factorum, appellauit. Est e-  
nim oratio externa nihil aliud, quam i-  
mago quaedam sermonis interni, siue  
cogitationis: nihil aliud, quam cogitatio, quam sensus animi, o-  
ratione expressus. Quemadmodum igitur facta actionibus hu-  
manae mentis internis respondent: sic plane & uerba. Talis  
proinde, necesse est, sit oratio, quale ingenium hominis, qualis  
animus, qualis indoles, quale denique ipsius orationis exemplar.  
Bonus si erit animus, bona erit oratio: sin malus, mala. Porro  
si fuerit literis excultus animus, oratio docta erit, & florida: sin  
literarum expertus ille, haec, nisi maior naturae facultas accesserit,  
rudis erit, inepta, omnino tenuis, & prorsus inaequalis. Atque  
huius quidem rei exemplum, si unquam, in Thoma certe Mun-  
zero, famoso illo, turbulentoque fanatico, licet, intueamur.  
Quamuis enim sic docuerit homo iste alios, ut c) primo Aschers-  
lebbii & Halae instituerit adolescentes, ut deinde Cygnaeae, Al-  
stedii, Mohusae, munus sacerdotis obierit: tamen uix semi do-  
ctum fuisse, neque multum sapuisse supra rude uulgus, magis  
que loquacitate audaci, atque impudenti, quam graui, & cordata  
eloquentia flexisse animos hominum, aut potius concitasse, scri-  
pta uiri, quae etiamnum supersunt, eademque cum descripta  
formis, tum exarata manu, loquuntur plus satis, ac demonstrant,  
animumque, non modo ignorantiae tenebris immersum, sed et-

A 2

iam

a) *epist. c. XIX.* b) *l. 1. segm. 58.* c) *conf. eius Confessio aca-*  
*demialis.*

tam turbulentum, morosum, superbum, ignauumque, posteritati  
 produnt. Quod iudicium quo facilius, uel leuiter, ac ueluti  
 per transfennam scripta illa inspicientes, de Auctore fanatico  
 scriamus, hoc magis mirum nobis accidit, non defuisse nostra,  
 patrumque memoria, qui Munzerum laudibus ornarent, atque  
 in coelum usque extollerent. Ex iis, pro instituti ratione, suf-  
 ficiat nobis, uel binos illos nominasse Thomaepanegyristas,  
 Christianum Hoburgium, & Godofredum Arnoldum: quorum il-  
 le, proximis temporibus, dogmata Munzeriana euulgauit, pari-  
 ter atque omnibus diligentissime commendauit; d) hic eundem  
 magnum in Ecclesia uirum e) dixit. Sed mittimus hominis  
 fanatici defensores, & ad ipsum Munzerum reuertimur. Huius  
 praecipua scripta oratoria, quotquot illorum extant, eademque  
 partim excusa, partim *auēdota*, breuiter strictimque examina-  
 bimus, atque ad praecepta Rhetorum exigemus, ut uel ex iis  
 solis, tanquam ex ungue leo, Munzeri cum ingenium, tum elo-  
 quentiae ratio, tum denique doctrinae modus, cognosci possint.  
 Vniuersum autem hunc laborem in quatuor commentationes di-  
 uidemus, ita quidem, ut in una eloquentiam ineptam genera-  
 tim delineemus, in altera speciatim epistolas breuiore, rariores,  
 & ineditas Thomae Munzeri, exponamus, in tertia de longio-  
 ribus eiusdem literis, & in ultima de orationibus fanatici aga-  
 mus. Quae res ut bene feliciterque succedat, Deum immorta-  
 lem ab initio religiosissime comprecamur.

I. Disputationem conscribentium prima uulgo solet esse  
 cura; ut uoces, in Dissertationis inscriptione occurrentes, ambi-  
 gua sui sententia liberent, atque ita explicent, ut cuiusuis intel-  
 lectui primo intuitu pateant, nec ambiguitatem in legentium a-  
 nimis pariant ullam. Quorum rationem uiamque docendi et sim-  
 probamus minime, probe memores illius, quam Philosophus  
 fert, legis: *αγὸς τὸ ἐπὶ τῆς διδασκειν δὲ πᾶτων ἐξερᾶζεν τὰ*  
*ἀνοήματα*: eo tamen adduci non possumus, ut eundem differen-  
 di modum nobis imitandum proponamus, & in rebus sole me-  
 ridiano clarioribus, ac maxime propriis, explicandis, operam no-  
 stram

d) Ita restatur Pantheon Enthus. in prior. libr. e) P. H. Haer-  
 resiol. p. 15.

stram studiumque consumamus. Ecquid enim illud aliud, nisi facem in meridie accendere, tenebras in sole, & nodum in scirpo quaerere? Quare in praesenti Dissertatione Paronymiam, & Homonymiam, utriusque uocabuli, non attingimus. Quem enim fugit, fustus ab aliis, a) quam a nobis posset, prius uocabulum esse deductum descriptumque? Ecquis ignorat alterius uocabuli Etymologiam, & Homonymiam, quod sit dictio Latina, composita, quae accipiat cum in sensu latiori, b) quatenus omne illud, quod decori est expers, nec alicui convenienter iunctum, & a quouis potest reprehendi, denotat; tum in sensu strictiori, quo illud designat, quod minus apposite dicitur, aut c) facto exprimitur? Neminem, certe id praeterire potest, nisi qui uix primoribus tantum labris Philologiae fontes degustarit.

II. Neque uero de Synonymia multum erimus solliciti. Sive enim, stylo biblico, ineptam Eloquentiam, per procacem garrulitatem, quae est sine sale, d) immoderatam clamoris confidentiam, quae est sine iudicio, & e) *uero Quorsan*, quae est sine soliditate, f) quis exponat; siue, stylo profano, aut ecclesiastico, per inanem quandam loquendi profluentiam, g) & loquentiam; h) siue per praestigiaticam Eloquentiam, & extemporalitatem absurdam, i) quam Germani uocant *das Ermelschütteln*, & Theologi k)

A 3 suis

- a) Conf. Theologi Altorsini, D. Zellneri Disput. 1. de eloqu. base-res. obstetr. S. 2. & clar. Dn. M. Kriegii Disput. de eloqu. Sophist. S. 3. b) Hoc sensu Cic. l. 2. de orat. explicat. conf. Fabri Thesaurus, uoce aptus, & Donatus in interpret. Andr. l. V. 23. c) Ter. Heaut. a. III. scen. 3. v. 17. d) Marc. l. X. 50. e) Prou. XIX. 23. f) 2. Tim. III. 16. g) Cic. de partit. Orat. h) Plinius iun. l. V. epist. XX. i) Chryst. l. 2. de sacerdot. ubi dicit, eam esse, ad quam homines obstupescant, cum uideant tolli, quae sunt infima, & poni sublimia, quaeque facis agat & imposturis. k) David Chytraeus Rostoch. celeberr. Theologus ita animaduertit in extemporaneos: Studiosi odisse discant quorundam arrogantem soliditatem, qui ex tempore iactant, se de magnis rebus dicturos esse, ut Concionatores quidam gloriantur, se ex manica concionem excutere. His stultitia, & ignauia, sustibus excutienda erat. Similem dehortationem annectit, D. Conr. Dietericus super Eccl. P. II. p. 103.

luis disuadent; siue denique per nugatoriam declamationem, Eloquentiam falsam, l) & extraordinariam, m) die Exorbitance in Reden, quis enunciet, perinde erit, & in cuiusuis arbitrio positum.

III. Id potius nobis agendum esse putamus, ut rem ipsam aggrediamur, & Eloquentiam ineptam Thomae Munzeri, cuius in titulo speciatim mentionem fecimus, uisus delineemus coloribus. Fuit autem illa copiose loquens stultitia, ex Phantasia immoderata, temperamento corrupto, disciplina, & usus neglectu, Concionatorum quorundam maleferiatorum, & plebis applausu incondito, & iniuriis falso creditis, orta, qua uir pessimus & sceleratus superbiit, deque rebus diuinis, & humanis, materiis etiam ad persuadendum minus accommodatis, minus accommodate, insulse, & frigide, tam uia noue, quam scriptione disseruit, ad vanam captandam gloriolam, Magistratus legitimi abrogationem, & populi, in partes suas pertrahendi, fallaciam, malo prauoque animo instituentiam.

IV. Nominamus hanc ineptam Eloquentiam, stultitiam copiose loquentem, quando stultitia non solum factis, sed etiam dictis continetur, & tam late patet, ut de pluribus, specie differentiationem, & inconsideratorum uerborum profluentiam, qua arroganti doctrinae opinione agitur oratio, & inde sibi non constat; sed multa, & inania effutit uerba, sine debita Inventionne, Dispositione, & ornatu, decentique Actione. Quare & alio nomine stultiloquium & stultiloquentia effertur, accepto uocabulo, non insensu Ethico, sed Oratorio.

V. Distinguitur in eo, & discernitur percommode, a ueri nominis facundia, & proprie sic dicta Eloquentia. Est enim Eloquentia uera, ut Oratorum princeps, Cicero explicat, n) nihil aliud, quam copiosa loquens sapientia. Hinc etiam eloqui & dice-

---

l) Hoc nomine exprimit magnif. Dn. Praeses in Dissert. de fide orat. §. 5. m) Conf. Orationem. Iacobi Carmohni, Prof. Iuris in Acad. Rostoch. de Eloquentia extraordinaria, quam auctoris fa- mae erud. allegat. P. XV. P. 248. n) in Dialogo de partiu. Orat. c. XXIII.



dicere solius est Oratoris; & facunde loquentis; teste Quintiliano, ita o) differente: *Mibi, ne dicere quidem videtur, qui nisi dispositus, ornate, & copiose dicit.* E contrario loqui est hominis, qui suo quidem ordine, sed sine arte, & uerbis simpliciter aliquid significantibus, enunciat; obloquit obrestatoris est, & alloqui suadentis, uel hortantis, uel etiam blandientis.

VI. Haec inepta autem Eloquentia unde obvenit Thomae Munzero, facile possumus colligere, si causas tam Physicas, quam Morales, inuestigemus, Ad illas imprimis reuocamus Phantasia immoderatam. Sicut enim moderata uis imaginatrix, cum recta ratione, sanoque iudicio coniuncta, abstrusissimas ideas, ut proprietatibus materiae conuenientes, uario modo adumbrat, continuato cursu Spirituum animalium conseruat, opinionem inde format, & insinuat fere sub relationibus res sibi sinit, adeoque apte inuenit, artificiose disponit, numerosas adhibet periodos, decentes tropos, & figuras, & in modo externo agendi inter gestus & res conuenientiam quaerit: ita immoderata, & iudicio destituta, imaginatio, nimiumque efferescens, in tumorem, obscurum, confusum, & tumultuarium degenerat sermonem, & intellectum turbat ac obfuscet, ut hac correptus, de ueritate rei, recte iudicare nequeat. Clarum huius rei testimonium perspicimus in fanatico nostro oratore. Quam misere sanim eius Phantasia fuerit corrupta, scripta, orationes, & epistolae produnt, quin imo Enthusiasmus prodit, quo Diabolus huius increduli sensus turbauit, mentemque excaecatam, & obnubilatam reddidit, ut, a Deo, de praedicatione in toto orbe, & euerfione, atque abrogatione Magistratus, mandatum accepisse, diceret. p) Ita illulus, & tot inanibus imaginibus, uariis de rebus

o) h. 12. instit. Orat. Conf. etiam Martini Etymolog. voce loqui, & Scherzeri manuale Philosophic, voce elocutio Sleidanus l. V. de statu relig. & reipubl. p) Pertinent huc Itrasonica gloriationes, comprehensae in der ausgedruckten Entblösung des falschen Glaubens c. 4. Es muß ein gnadenreicher Knecht Gottes berufstretzen im Geist Elbe, und alle Dinge in dem rechten Schwanz bringen. Die Zeit der Ernde ist da, das Evangelium wird nun viel höher ins Wesen kommen, denn zu Zeiten der Apostel. Conf. etiam intimationem Pragensem

bus conceptis, in cerebro impeditus, nubem pro Iunone accepit,  
 exstimans id, quod appareat, verum esse. Inde non fuit solici-  
 tus, quid diceret, aut num aliquid, quod rectae rationis dicta-  
 mini, & analogiae fidei consentaneum sit, diceret; sed Cyclopoico im-  
 petu, ad edendas epistolas, & orationes habendas, profiliit, &  
 quicquid in buccam venit, euomit. Inde argumenta, ex im-  
 prouiso oblata, male & frigide collocavit, partesque orationis  
 mirum in modum confudit. Inde *παινοφωία*, verbis obscuris,  
 minus usitatis, & ampullas prae se ferentibus, ita delectatus, ut  
 antiqua omnia, usitata, & propria ipsi sordescerent. Placet ali-  
 qua huc transcribere, ut res euadat clarior. In epistola, ad Me-  
 nium, ad aesciam, missa, cuius *ἀνάλοω*, in posteriori Disputatio-  
 ne exhibebimus, ita loquitur: *Wan ein Mensch seines Ursprungs  
 gewahr wird, im wilden Meer seiner Begegnung, wenn er nun mitten  
 im Schwank ist, so muß er thun wie ein Fisch, der den faulen Was-  
 ser von oben hernieder nach unten ist, kehrt wiederum, schwimmt,  
 klettert das Wasser wieder hinauf, auf das er in seinen ersten Ur-  
 sprung wiederum kommen möge.* Inde tandem, cum maxime de-  
 sideret, sibi sapere est uisus, q) immaturum reformandi puritum,  
 & affectatam in Christianismo fortitudinem declaravit, & de ali-  
 orum iudicio corrupto perperam sibi blanditus est. r) Alteram  
 causam, quae Munzeri Eloquentiae ineptae auxiliatrices praebuit  
 manus, hariolamur, fuisse temperamentum corruptionem, quam  
 ipse Arnoldus ipsi tribuit r) Externis enim sensibus, ex humore  
 melancholico corruptis, laborabat, qui uim imaginatricem cor-  
 rumpebant penitus fere, uoces inauditas, cogitationes absurdas,  
 & uisa ac facta mirabilia procreabant; quibus postea orationes,  
 conciones, & scripta scatebant. Quod ipsum exinde etiam licet  
 colligere, quod in adiaphoris nimium rigorem, morumque auste-  
 rita-

q) Lutherum, Melanchionem, & Iustum Ionam, fatuos atque in-  
 sapientes praecipue esse statuit, in epistolis, ad civem Islebien-  
 sem, Christ. Menium & ad Melanchionem, missis. r) P. II. Hae-  
 resis p. 15. Die Verderbnis der Natur und des Satans-List, hat  
 ihn verführet, er ist von dem wahren Evangelio abgegangen mag  
 wirklich eines wunderlichen humors gewesen seyn. s) Conf.  
 epistolam ad aesciam, Christ. Minium, & Sleidan, l. V. de statu  
 relig. & Reipubl.

ritatem, postulauerit, z) ac Stoicorum *ἀναιδέων* moribus & ui-  
 ta, tanquam singularem sanctimoniam, exprimere allaborauit.  
 u) Tertiam ineptae Eloquentiae causam, ex disciplinae & usus  
 neglectu deducimus. Quo nomine omnium rerum magnarum,  
 & artium, inopiam, Linguarum, Latinae aequae, ac Germanicae,  
 Historiae, Philosophiae, Theologiae, supinam ignorantiam, &  
 institutionis, imitationis, & exercitii defectum intelligimus.  
 His enim omnibus destitutum fuisse Munzerum, deprehendimus.  
 Stylus horridus, rudis & impolitus in utroque idiomate, innuit  
 harum linguarum incertam crassam; argumenta, male inuenta,  
 & collocata, parum firma, & *ἀναλογίαν* fidei impugnantia, Lo-  
 gicae, Rhetoricae, Philosophiae, & Theologiae, imperitiam pro-  
 dunt; amplificationes, & illustrationes, x) in re non fundatae, ar-  
 guunt, ipsum rerum monumenta non uoluisse, nec peruoluisse;  
 feebleta, ac nimis detorta, Sacri codicis expositio, & immodica  
 Enthusiasmi depraedicatorio, y) Scripturae Sacrae contemtu, &  
 omnis eruditionis despectum depingit; discrepantia tandem in-  
 ter Munzeri, & bonorum oratorum eloquentiam, satis jam satis  
 B

z) Iubebat scilicet suos taciturnos, & torue uidentes, promissis  
 barbis bispidos, uili restitui incedere, & jejuniis corpus mace-  
 re. Uide T. III. Altenb. oper. Lurberi f. 128. u) Hujus rei indicium  
 dedit Alstedii, in natiuitate filii. Cum enim illi nunciata esset  
 natiuitas filii, *αὐτὸν ἔσθω, ὡς ἄνθρωπος, ὡς ἄνθρωπος, ὡς ἄνθρωπος*, nec  
 lactatus est, nec gratias egit, ut ostenderet, se truncum, & sti-  
 pitum esse. Interrogatus enim a Quaestoris uxore; an nuncium  
 intellexerit? Meam, inquit naturam, prorsus mutatam esse, vi-  
 detis. Nun sebet ibr ia, dass ich den Creaturen ganz entrisen  
 bin. Conf. Stockmanni Elucid. haeres. p. 391. x) Vide epist. sex-  
 tam ad rusticos, ubi contra omnem fidem historicam, suis persua-  
 dere conatur, Germanos, Gallos, & Italos arripuisse arma, ut  
 in subsidium uenirent rusticis. y) Quanto pretio Scriptu-  
 ram habuerit, uerba blasphemata, passim in scriptura, in-  
 dicant: Gottes Stimme mußt du selbst hören, und Got-  
 tes

declarat, irregulatum illud caput, 2) nec artis Rhetoricae praeeptiones a dicendi magistris optimis imbibisse, nec multae, atque accuratae, Eloquentium scriptorum lectioni operam dedisse, neque etiam debitam exercitationem suscepisse, sed sine duce, Magistro, atque emendatore, impetu naturae & impulsu uoluntatis, declamasse scurriliter, atque omnem suppellectilem in ore gestasse. Atque hae fuerunt causae naturales, & Physicae, maximam partem speciales, ad quas nunc adjungendae sunt quaedam generales, & Morales. Ex his, quarum magnus est numerus, breuitatis causa, duarum tantummodo facimus mentionem. Una fuit, cum uerbi diuini praeconum quorundam, male sentientium, tum plebis, ad seditionem excitatae, plautus inconditus. Cum enim Munzerus ad Heluetios se conferret, Oecolampadius, Theologiae Doctor, uir quidem magnae apud Basileenses autoritatis, & Hugefeldus, ita eum ferebant in oculis, ut munus docendi populum ipsi demandarent. aa) Haec praestantiae opinio securitate ambitiosa impediit in Munzero discendi studium, ut omnia scire iam sibi temere uideretur, ideoque, secundum illud, quod uulgo dicitur, quo magis imperitior, eo magis procax ore esse affuesce-

tes Werck in dir leiden und süßlen, wie schwebt dein Pfund  
 ist. Es ist nichts mit der Schrift, ia bibel, bubel babel. Vid.  
 T. II. Operam Luth. Alienb. p. 791. u. vom Gedichte vom Glauben B. I. a inquit: fanaticus. Wer gläubet, verläßt alles, was er nach der Weise der Schrift gelernet, denn er siehet, daß ein äußerlich Gezeugniß kan ihm kein Wesen machen. Enthusiasmo e contrario prius fere designabat partes, omnique doctrinae generi praeferebat. In intimatione enim Pragensi ita loquitur: Recensere uebementiorem, super omnes coaetaneos meos operam nauasse, donec uberiorem rarique inuincibilis sanctae, Christianae fidei eruditionem nancisci dignaret. Refero constanter: nullum sacrificulum: nullum monasticum hypocritam poruisse hanc ipsam praestare mihi. Nulli quoque niuentium, insinauerunt insatibilia orthodoxae fidei exercitia. 2) Hoc nomine celeberrimus Ienensium Theologus Dr. Foerischius Munzerum ornat in disput. de excessibus pietatis S. 6. aa) Conf. ejus Confess. crimin. art. 3. Tom. III. Luth. Alienb.

affuisset. Quae in consuetudine vulgi studium ipsum postea continebat. Huic enim orationes ejus, quae nova dogmata, vitiosis alendis maxime idoneae, spargebant, maximo erant delectamento; siquidem frequens, & magno studio concionibus aderat, & quicquid Munzerus pronuntiabat, tanquam ex tripode dictum esse existimabat. *bb)* Altera vero ineptae Eloquentiae ratio, ex injuriis, falso conceptis, resultabat. Scilicet Alstedii, ob seditionem excitatam, concionandi libertate excludebatur, *cc)* multis etiam in locis, ut Norimbergae, & Molhusae, e sinibus ejiciebatur, atque a veris, & sinceris, Theologis, Luthero & Iusto Iona, criminis, & haereseos conuincebatur. Haec omnia, inexpiabiles injurias esse, uociferabatur. Ut itaque has propulsaret, animo conceptas, iniurias, cristam erexit, concionis habendae munus Molhusae sibi arrogauit, & quamlibet renitentibus Senatui processibus, in eo perstitit, *dd)* quasi, praeter ceteros, ei administrando, idoneum se arbitraretur; praeter meritum, loco se dejectum fuisse, uaniloquentia testatus. Inde ad contentiones cum Theologis in arenam descendit, erroremque, scriptis & concionibus, editis multifariis, mordicus defendit. Non uacat iam portentosos huius ingenii foetus in medium asferre, ob pagellarum, quibus nostra includitur dissertatio, angustiam. Sed progrediendum est, ut Eloquentiam ineptam amplius demonstremus.

VII. Quam quidem statim in Subiecto, quod dicunt, Eloquentiae exponimus, cum illud, in definitione, uiri pessimi characteri designamus. Fuit enim Thomas Munzerus nequam iis exornatus uirtutibus, a quibus existimatio, & dignitas oratoris dimanat, quaequae, ut testatur Cicero, *ee)* & Quintilianus, *ff)* Rhetores praestantissimi, maximam fere omnium uim fidei faciendae conciliant. Sive uirtutes intellectuales, siue Morales intueamur, harum insignem in eo deprehendimus inopiam. Sapientia, & prudentia destitutum fuisse, supra comprobatum

B 2

dedi-

*bb)* Sleidanus l. V. de statu religion. & Reipubl. *cc)* idem l. c. & T. III. Luit. Altenb. *dd)* Testatur de hac temeritate Chronicon msc. quod Molhusae in tabulario asseruatur, eum, e xpulso ordinario Pastore, docenti munus in aede B. M. V. in se transulisse *ee)* l. 2. de laueni. orat. *ff)* l. V. instit. orat. c. 6.

dedimus, & porro in singulis epistolarum, & orationum, animaduersionibus, ut euincamus, studebimus. Pietatem erga Deum, & probitatem erga se ipsum, & socium, minime confectum fuisse, peruersus de Deo sensus, ejusque cultus inordinatus, & praepostera, impia, & pessima vitae consuetudo, loquuntur. Quem enim fugit, Munzerum omnem humanitatis sensum exuisse fere, turpissimisque omnium flagitiorum maculis aspersum fuisse? Quis eius blasphemiam, Scripturae Sacrae contemtum, expostulationem cum Deo, & meliorum sacrorum insectationem ignorat? Quis non tenet memoria seditionis concitationem, Magistratus legitimi abrogationem, truculentum animum, maledicentiam, libidinem, *gg*) rapinas, famosos libellos, *bb*) nimiam honoris cupiditatem, & appetitam totius Reipublicae euerfionem? Certe neminem haec praetereunt, nisi qui in Historiarum lectione plane est hospes, cui suademus, ut Historicis seculi XVI, fide dignissimos, *ii*) perferretur. Iam cum uirtus sine uirtute plene intelligi nequeat, nec quisquam in eo disertus esse possit, quod ignorat, facili negotio intelligimus, Munzeri Eloquentiam uel ea de causa fuisse ineptam, Sophisticam, putidam, & uanam, atque insanam, quod sibi prius, quam aliis, non persuaserit, nec linguae, & affectuum circumspectus fuerit magister.

VIII. Vt

*gg*) Licet in consequenda salute, omnia publica uitia, cane peius & angue deuitanda esse, affirmaret: ipse tamen legem, quam aliis proponebat, transgrediebatur. Cygneae enim aliquando uirgini cuidam per uim uiuium offerre conabatur, hanc interponens causam, a Deo id sibi mandatum esse, Er könnte sonst nicht predigen, ut testatur Pamtheon Enibus in Histor de Munzero, *bb*) Aegranum, Hausmannum, & reliquos uerbi diuini ministros Cygneae, nefandum in modum conuiuiis proscindebat, ac primus in controuersis Theologicis famosos libellos spargebat. Conf. Pamtheon Enibus. l. c. & Magnif. D. Wernsdorffii Colleg. Antif. msc. in prolegom. *ii*) Huc referendus est imprimis Sleidanus l. V. de statu, relig. & reipubl. ad an. 1525. in. Petrus Gnodalius, cuius de tumultu rusticorum, quinque extant libri, copiose scripsit. Huc spectant etiam Bechereri, Binhardi & Psfferkornii Chronica Ibur. ut & alia MSS. quae in tabulario Adolbusino afferuntur.

VIII. Ut autem, secundum effatum meritisimi Seruatoris nostri, Iesu Christi, *kk*) malus non potest bene loqui; quando ex abundantia cordis os loquitur; pari ratione Munzerus, improbus scurra, & profligatus nebulo, pessima quaeque Themata, in orationibus, epistolis, & ceteris scriptis, excutienda selegit. Licet enim aliquando de rebus humanis, naturalibus, & fortuitis, itemque de rebus diuinis, Scriptura Sacra, iustificatione, salutis causis & principiis, fide, unione mystica, baptismo, ministerio ecclesiastico, Euangelio, bonorum communione, & Magistratu politico, *ll*) uerba fecerit, tesseraeque suae Eloquentiae, uel potius loquentiae, exhibuerit: ea tamen omnia ita erant comparata, ut obiecta, quae dicuntur, peruersae interpretationis causa, minus persuasibilia euaderent. Pietatis enim, honestatis, & iuris naturae, eueriebant fundamenta. Spectant huc ea, quae de reuelatione interna, & septuplici perfusione Spiritus sancti, *mm*) expostulatione & colloctione praesenti cum Deo, *nn*) euerfione totius reipublicae, abrogatione Magistratus, *oo*) direptione publica bonorum, quae proceres imperii possidebant, *pp*) destructione templorum & imaginum, *qq*) aliisque nefandis flagitiis,

B 3

gitiis,

*kk*) Matth. XII. 34. *ll*) Hac de re conf. Magn. Dr. Loefcheri, iam Praefulis Dresdenfis, Dissert. de doctrina & factis Thomae Munzeri §. 20. *mm*) in intimatione Pragensi. *nn*) Horrenda sunt, quae de colloctione statuit. Publice enim proferebatur, ut habet Lutherus T. III. Operum Altenb. p. 126. Er wolte in Gott scheiffen. wenn er nicht mit ihm redete wie mit Abraham und andern Patriarchen. *oo*) Conf. epistol. ad sedulosos rusticos, paulo ante praelium commissum, scriptam. *pp*) Huius rapinae laudes coram rusticis, ab agro Eisfeldensi oriundis, copiosa oratione, celebrabat, cum illi Schlotheimio Goermariam, uicum non procul ab urbe Molbusa distantem, praedam, octo, uel nouem uehiculis impostam, adueberent, ut testatur Chronicon MSC. Molbus. ad an. 1526. Quin imo eo audaciae procefferat, ut ab Heiligenstadiensibus, iure scilicet quodam suo, nobilium & monachorum (quos Baalis & Nimrodi progeniem uocabat) bona atque opes postulareret, ut idem testatur Chron. l.c. *qq*) Conf. eius confess. crimin. artic. 2.

gitiis, proferebat. Horum enim omnium expositione nossem oratoris (cuius animum nihil irreligiosi, & inuerecundi intrare debet) sanctum, cakumque, & aequi obseruantissimum uiolauit, eoque indignum prorsus se reddidit. Deinde obiecta, quas Munzerus in medium afferebat, fuerunt etiam contradictoria, quibus Pyrrhonismum & Scepticismum reuocauit, ac, se cum ratione insanire, testatus est. Modo enim Scripturam sacram summis euehit laudibus, ac secundum eius normam ius esse dicendum, *rr*) contendit; modo uerborum libertate in eandem incurrit, & improbe inuehitur, uocans *ss*) literam mortuam, cui non sit adhaerendum. In epistola ad Comitem Mansfeldensem, Ernestum, statim sub initio, in salutatione, bene precatur, & uidetur, ac si optime ipsi uelit consulere; cui tamen in epistola ipsa nihil, nisi minas, imprecatur. Tum uero obiecta, maximam partem erant falsa, quibus neuiquam uerum ipsum, sed simile tantum ueri, Munzerus petebat, & nequitiam sua dicendi ui adiuuabat; adeoque rabulam & impostorem potius repraesentabat, quam Oratorem. Fallaci enim omnia nitebantur fundamento, quibus fidem facere annitebatur. Talia erant, quas de intolerabili Principum, & Magistratus tyrannide, hinc & inde in epistolis & orationibus, commemorabat, quando de iusta Principum exagitatione, sibi a Deo mandata, *tt*) sua *ικανόνητα un*) immediata missione, *xx*) & demonstrata coniugii foeditate, *yy*)

glo-

*rr*) uide T. III. Operum Lutheri Altenb. p. 126. *ss*) in intimat. Pragensi, & libro uem Gedicht des Glaubens. B. 1. a *tt*) Conf. epistol. ad Comitem Mansfeldensem, Ernestum. *un*) Liceat huc aliqua transcribere, ex quibus immodicus aestimatur sui cognoscatur. In epistola, ad seditiosos rusticos, missa, ita gloriatur: Ich wolte ihnen Unterricht geben, dasz ihnen das Herz vielgrößer werden solte als alle Schlöffer. In intimatioue Pragensi iactantia eius plus habet nominis, quam operis: Ich bin bereit allen ein Genüge zu thun die es begehren. *xx*) De hac eadem intimatio, & oratio ultima, ante praelium commissum habita, restantur. *yy*) Sententia eius haec est, quam in exultantibus literis ad Melanchthonem: Suasionibus uestris ad coniugia trahitis homines, cum iam non sit iborus immaculatus: sed datq; na lupanar.



gloriabatur. Ne quid tandem de obiectis impossibilibus, quae uocant, e. g. de dono prophetiae, canone iam clauso, expectando, *zz*) & certa ratione uictoriae, quam suis in ultima oratione pollicebatur, aut etiam thematibus usu tritis, quibus omnes fere sciant epistolae, addamus: illud tantum modo monemus, cuius sub initio huius §. mentionem fecimus, omnia obiecta pene a Rhetorum praecipis receptissimis plane recessisse, & ad persuadendum minus accommodata fuisse.

IX. Formam ineptae Eloquentiae indicamus, quando Munzerum frigide, & minus accommodate disseruisse, statuimus. Quibus uerbis quatuor officii oratorii partes, nempe, Inventionem, Dispositionem, Elocutionem, & Actionem, quarum exiguam, & plane nullam Munzerus habuit rationem, indigitamus. Non licet iam accurate singulas perquirere partes, in iisque menda, ac uitia orationis, tam in excessu, quam defectu, commissa, annotare: nec enim illud instituti ratio postulat, nec pagellarum angustia permittit. Fiet illud in posterioribus nostris commentationibus, ubi uberius instituemus examen epistolarum, & orationum. Hic saltem generaliora quaedam libet delibare, quae in tractatione specialiori parcius occurrunt. Quod itaque ad Inventionem attinet, eam monemus, fuisse sterilem, & insufficientem. Non enim Munzerus fuit sollicitus, ut *lōysē* iam attingamus, de eo, quid dicendum sit, sed, quicquid in buccam uenit, perorans effudit, a subitis cogitationibus, & oblati sensuum obiectis *aaa*) occasionem captans. Robur addit huic dicto illud, quod imparatus semper ad declamandum processit, atque incommodissime dixit, dum argumenta, quae pertractanda susceperat, imperfecta reliquit, *bbb*) quae amplificanda, minuit, quae diminuenda, amplificauit, & auxit. *ccc*) Neque is operam nauauit debitam, quae admirabilem praestant Eloquen-

---

*zz*) De hoc dono uideatur eadem epistola. *aaa*) In postrema oratione ad rusticos, iridem forte apparentem in rem suam conuertebat. *bbb*) Huius rei uestigium apparet in epistola ad asseclam suum, Menium, cui, uiam salutis monstrans, textum plane alienum proponit. *ccc*) Conf. intimidationem Pragensem.

quentiam; quorum alterum est, quod Graeci ἡθικόν, ad naturam, & ad mores, & ad uitae consuetudinem, accommodatum; alterum, quod iidem παθητικόν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur. Ex omnibus enim fere scriptis conspiciendum praebet ingenium suum tumultuarium, leuitate praecipiti defultorium, atque asperum, & difficile cum autoritate imperandi. *ddd*) Adde, quod & in affectibus commouendis plerumque nec materiae, *eee*) nec personis, nec temperi inseruiat. Quare Cicero, Vir in arte oratoria unus omnium uersatissimus, uiuis coloribus iam olim Munzerum, ut ita dixerim, depinxit: cum ineptum oratorem ita descripsit. *fff*) *Qui, quod aut postulat tempus, non uidet, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, cum quibus est, dignitatis, uel commodi rationem non habet; aut inconcinuus, aut multus est, is ineptus dicitur.* Tandem, si Inuentionis tractationem in tribus causarum generibus spectemus, & ex illis inepta Eloquentia emergit. In demonstratiuo genere fumum populo uendebat, dum res malas, & perniciosissimas *ggg*) laudibus ad coelum usque efferebat, optimas autem, & praestantissimas mille sermonum aculeis transfodiebat. In deliberatiuo, ad pessima quaeque suscipienda calcaria addebat, & ab honestissimis ut auerteret, omnes neruos intendebat. In iudiciali, quod uersatur in accusando, & defendendo, Munzerus uix ad oppositiones aduersariorum suorum respondit, sed se in opponentis statu continuit, *bbb*) alia post alia argumenta, ad quae uix responsio parata fuit, aut reddi potuit, defultoria leuitate & linguae flexibilitate, ingeminans. Praeterea

---

*ddd*) Conf. epistolam ad Albertum, Comitem, in pr. subscriptionem nominis. *eee*) Testantur de hac inconsiderantia literae, ad comitem Mansfeldensem, ut & intimatio Pragensis, saepe citata, *fff*) l. 2. de oratore. *ggg*) Conf. quae §. praeced. de rebus impis, & falsis diximus. *bbb*) De hoc praepostero procedendi modo testantur literae, ad ciuem Islebensem, & ad Pbil. Melanchthonem missae, quas posteriores Ioh. Agricola edidit anno 1525.

terea linguae uiolentiam, & uerborum temeritatem, *iii*) in illis iaculabatur, ut clamoribus oppressi, uictas indignabundi darent manus. Dispositio, ex qua tamen omnis partium concinnitas, & praecipuus decor emergit, est confusa. Partes enim, uel nimis traictas, *kkk*) uel plane praetermissas, *lll*) uel mutilas, *mmm*) uel etiam creberrime repetitas, offendimus. Elocutio, tam generalis, quam specialis, est inficeta. Quod enim ad delectum uerborum, primam Elocutionis generalis partem, attinet, peccauit illa in elegantiam, & dignitatem. Reperimus in ea uerba, quae proprietati, & perspicuitati minus sunt consentanea, qualia sunt, *verjähren*, pro *retardare*, *Entgröbung*, *langeweile*, quae obscura; *entbremsen*, *wunsam*, quae antiquata; athleta, *Marpeßcher Fels*, quae peregrina; *herauskotzen*, *beßbissen*, *fratzen*, quae plebeia, & fordida; *Verdorbenheit*, & alia, quae rara, & inusitata. Figurarum naeui, qui inprimis hic

C

cxu-

*iii*) Ita Lutherum ipsum, ob sanae & orthodoxae fidei defensionem, quasi in furorem aclus, aggreditur, & inauditis proscindit conuitiis, in scripto, quod uocat *die hoch verurfsachte Schutz Rede wieder das sauffilebende Fleisch zu Wittenberg*. Modo enim Lutherus ibi uocatur *der allergeitzigste D. Lügner, der tückische Kolck-Rabe, der hochgelahrte Bube und Ertz-Bube; modo dicitur der schmeichelende Schelm, der tückische Drache, der ausgeßhönte Münch bey seinen Maluastier und Huren Käßlein; modo etiam appellatur tuuckser Martin, die keuffbe Babylonische Frau, des Teuffels sicherlicher Ertz-Cantzler, sich Mer-ten*. *kkk*) Hoc potest perspicui ex intimatione Pragensi, ubi confirmatio specialis praemittitur generali, quae causam ad scribendum suppeditat: *it. ex epistola ad cinem Islebiensem, ubi ab Amplificatione exorditur*. *lll*) Illud factum in epistol. comminante ad Comitem Mansfeldensem, Albertum, ubi subscriptionis loci & nominis, pariter & Exordii, longa est obliuio. *mmm*) Aduertimus hoc in epistola ad Melanchthonem, ubi subscriptio temporis desideratur.

exultare deberent, adsunt frequentes. Occurrunt scilicet magna numero: Tautologia, Pleonasmus, *μείωσις*, Onicomiton, quod indistinctum, contra decorum orationis, summa cum imis miscens, Germanismus, Barbarismus, Soloecismus, *παρέλκον*, *περισσολογία*, & quae Elocutionis uitia sunt alia. Quibus etsi figurae, & tropi intecesserunt: nequaquam tamen orationem immutarunt. Accessit enim ordo uerborum peruersus, & interpunctio pessima, quae compositioni, multum obsunt. Alia Elocutionis pars est character dicendi, quem itidem inconuenientem in Munzeri Eloquentia deprehendimus. Nam fuit ille frigidus, & tumidus, in eaque corruptela fere sibi constans, ut ex uerbis, sententiis, & Compositione intelligi potest. De Actione denique Munzeri illud addimus, eam fuisse histrionicam, & portentosam, commotionis & contentionis plenissimam. Sleidanus *nnn*) quidem insigne specimen habitae allocutionis, maxime blandae, & grauisimae, uultu ad magnam feueritatem composito, exhibet; quod & nos ipsi derogare nolumus, praesertim in re pessima: sed eo adduci non possumus, ut huius speciminis ergo Actionem, quanta quanta fuerit, decentem, ac moderatam nominemus. Si enim locum, ex quo orationes ad populum habuit, & statum corporis intueamur, uel ex iis scelis, si cetera actionis uitia silentio praetereamus, conuicimus, Munzeri actionem petulantem, leuissimam, ac Mimicam, fuisse. Sacerdotis munere fungebatur Munzerus, ideoque ei, in omni actione, cum summa Dei immortalis, eaque tremenda, maiestas cognoscenda, tum circumspecta, ac decens, auditorum ratio erat habenda, ne autoritati diuini sermonis a praesentibus quicquam detraheretur, aut sanctissimum uerbum ludibrio exponeretur. Verum enim uero huius decori in eo longa existerat obliuio. Inter ministerium enim illius, & actionem oratoriam, nulla propemodum conuenientia, & conformitas deprehendebatur; sed tota actio, ad regulam, & insanam agendi consuetudinem, Pfeifferi, & M. Hildebrandi, aliorumque turbulentorum, & loquaculorum hominum, qui glorioso Ora-

torum

*nnn*), l. V. de statu relig. & reipubl. ad an. 1525.

eorum nomine abutebantur, componebatur. Nam, cum hic impostor, & circulator 000) plateas obambulabat, auditoribus suis, de fidei capitibus quaerentibus, assidebat, ppp) eosque ibi, circumforaneorum more, edocebat. In campis uero circumuegitabat turmas rusticorum, & his stipatus ex equo, tanquam ex solstris, cereberrimis concionibus ad populum utebatur, qqq) Quin imo tota eius actio, ut multa dicendo in pauca conferam, nec suae personae decora, nec rebus apta, nec temporibus opportuna fuit.

X. Diuisionem huius ineptae Eloquentiae a causis instrumentalibus deduximus, uia scilicet uoce, & scriptione. Munzerus enim tam praesentes orationibus & concionibus flectere, quam absentes literis, quaquam uersum missis, conuincere conabatur. Extant in utroque Eloquentiae genere specimina, quae fanaticus diuersis temporibus edidit, partim separatim, partim coniunctim, formis descripta. Farraginem quarundam epistolaram, & unius orationis, exhibet Lutherus; rrr) Concionum uero, & orationum apparatus suppeditat ipsius fanatici interpretatio prophetiae Isaias. Delegamus huc beneuolum lectorem, & ad finem Eloquentiae Munzerianae explicandum tandem nos conuertimus.

XI. Spectatur autem ille finis hic externus, cum ex parte Munzeri, tum ex parte auditorum suorum. Priori respectu fuit nihil

C 2

hil

000) *Ridiculas horum homuncionum actiones Psefferkornius in Chron. Tbur. exponit p. 434. caluorum, dicit, nestius, mundanam indicantibus uanitatem, indutum, ex lapide, quem praeco cereuiliarum alioquin conscendebat, ex eoque zybi uenditionem annunciabat, declamasse contra corruptam monachorum & Monialium uiuendirationem; alterum uero contra Papales indulgentias ex pinnaculo & culmine domus Ferberianae, conciones habuisse, affirmat. Hanc narrationem ueram esse Chron. msc. Molbus. testatur. Hoc nomine Seneca malos Oratores describit. ppp) Conf. Chron. msc. Molbus. ad an. 1524. qqq) Videatur iterum Psefferk. l. c. p. 455. & Chron. msc. l. c. rrr) T. III. Oper. Atsenburg.*

In aliud, quam uana gloriola. Aucupabatur enim ingenii sui famam, atque in applausu colligendo acerrimam contentionem corporis, mentisque commentationem uehementissimam, figebat. Inde nunc illud solum agebat, ut, conquisitis minimis ac maximis, pro plebe defendenda argumentis, admiratione dignus uideretur, *ssj*) nunc se ipsum intempestiue laudabat, *iiij*) nunc etiam eos increpabat, & atrocissimis iniuriis afficiebat, qui memoriam, facta, & merita, eius improbarent. *uuu*) Posteriori consideratione finis Eloquentiae ineptae Munzeri fuit geminus, partim Magistratus legitimi abrogatio, partim populi, in partes suas pertrahendi, fallacia. Uterque finis erat minime germanus, nec oratori conueniens. Falsa enim, qua talia, & manifeste mala, sicuti non appetuntur: ita nec persuadentur. Est quidem ea uis Eloquentiae, ut Cicero loquitur, ut nihil tam sit incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, & quasi excolatur: sed, ut Hipponensium Episcopi, Augustini, uerbis rem exprimam, *xxx*) cum in medio posita sit facultas eloquii, quae ad persuadenda, seu praua, seu reuera, ualeat plurima, cur non bonorum studio comparetur, ut militet ueritati, sicam mali, ad obtinendas peruersas, uanasque causas, in usus iniquitatis, & erroris usurpant? Hunc uero scopum minime obseruabat Munzerus, in perorando. Probe norat, *yyy*) bonum ciuem Christianum Magistratui preces, *zzz*) honorem,

*ssj*) Testantur de prapostero hoc studio literae ad seditiones rusticos missae, anno 1525. quarum exemplar Lutherus T. III. Oper. Alenb. exhibet: item oratio postrema, paulo ante praelium commissum, habita. *iiij*) In inuiminatione Pragensi se omnibus praefert, in epistola ad ciuem Isleb. suum Zelum & disputandi methodum extollit, & in oratione ultima fortitudinem suam nimis encomiis ornat. *uuu*) Conf. Epistolam ad Comitem Mansfeldensem, Ernestum & eam, quam ciui Islebensi misit. *xxx*) l. IV. de Doctrina Christiana. *yyy*) Nouisse inde colligitur, quoniam in epistola ultima, ad Molbusinos, paulo ante mortem, per scripta, sententiam mutat, & ad reuerentiam Magistratus adhortatur, ponderosa adducens argumenta *zzz*) 1. Tim. II. 1. 2.

norem, *aaaa*) obedientiam, & subiectionem, *bbbb*) amorem, & fidelitatem, & tributa, debere offerre: at ipse in epistolis, & orationibus, & abrogationem, & euerfionem Magistratus, omni studio commendabat. *cccc*) Nec exitium populi, in quod praecipitabatur postea, dum multi capite, multi exilio, multi multa, & magna pecuniae summa, seditionem luere cogebantur, *dddd*) ipsi ignotum erat: nihilominus tamen ignaram & improuidam plebis cohortem, uerbis, & imposturis, in partes suas pertrahebat. *eeee*) Hujus falsae persuasionis causa Eloquentiam reddebat ineptam Munzerus. Cum enim finis ejus malus esset, & Eloquentia ipsa mala evadebat.

XII. Progrediendum nunc esset ad Cognata Eloquentiae Munzeri, uidelicet ad Eloquentiam ineptam fanaticorum, Quackerorum, aliorumque, quia, secundum naticinium

C 3

Me-

*aaaa*) 1. Petr. II. 17. *bbbb*) Rom. XIII. 1. 1. Petr. II. 13. *cccc*)

*Ex multis tres tantum nominamus, nempe epist. ad Comitum, Ernestum, Mansfeldensem, epist. ad Albertum Comitum, & epistol. ad seditiones singulos, perscript. Conf. etiam orationem postremam. Suos Alstedii ita edocuerat, ut, post lectionem epistolae dominicae, hoc Symbolum recitarent: Mann soll die Fürsten zu todt schlagen, und ihr Heuser verbrennen. Conf. Agricolae annot. Epistolae Munzerianae, ad Menium assolan missae, adiectas, & confessionem criminalem artic. 5. 6. 8. 9. 10. *dddd*) Praenidit hoc malum ex Scripturis, ubi maximas poenas Deus minatur iis, qui Magistratui resistunt, imo ex Principum potentia, & justitiae exercitio perspexit. *eeee*) Fallaciam hanc ipse confitebatur. Cum enim carnifex tormentis ipsum ita excruciret, ut magnitudine dolorum eiularet, Duci Saxoniae, Johanni Georgio, truculentum animum & plebis deceptionem exprobranti, respondebat: At ita uoluerunt. Sie haben es nicht besser haben wollen, Conf. T. III. Lutheri. Altenb. l. c.*

Megalandri nostri Lutheri, ffff) Munzeri Spiritu agi-  
tantur, & omnem ordinem dicendi auersantes, pleno im-  
petu, sine omni praeparatione debita, ad conciones habendas,  
aduolant: sed haec peculiari commentatione, ac scripto excu-  
tienda uidetur, cum altioris sit indaginis, nec spatio tam angu-  
sto includatur. Alii igitur eam reseruamus occasione, atque in-  
terea, Deo immortalis, pro uiribus, nostro huic labori be-  
gnissime concessis, decentissimas agimus gratias,  
quae sequuntur, deinceps exposituri.

---

ffff) Hoc uaticinium Vir summe Reuerendus, vñ à γλοισ, Dr.  
Feustkingius, in introductione Concilii Tripolitani, seu maraeolo-  
giae fanaticae p. 96. affert: Munzer ist zwar tod, aber sein  
Geist, das ist, seiner artk leute, Schwärms und aufrührerisches  
Geistes, lebennoch.







**A** Pre Munzeri formam dum tradis ineptam,  
Dicendi, dotes, ingenique, probas.

*Haec rogatu docti, pii, & sacundi Domini  
Auctoris, Fautoris, & Amici sui,  
sempiterno colendi, festinans  
dabat*

M. MARTINVS CNOBLOCHIVS.

---

**Q**uod quod portentum iam condidit improba turba,  
Dudum Munzerus egit in hoc Choragum.  
Ut fundunt illi moderni rustica uerba,  
Hoc a Munzero fauce bibere auida  
Hinc tibi legisti thema hoc, praclare Magister,  
Ronchus Munzeri ut prodeat in medium.  
**Q**uia tuo aspiret primo fortuna labori,  
Ne porro studium deliteat reliquum.

*Amicitiae, & amoris causa,  
applaudebat*

IO. GVNTH. SCHEIDIVS

Keula Thurs

SS. Theol. Studios.

---

**Q**uam tua Te uirtus, tua quum te copia rerum.  
Commendet cunctis, quid uaga uerba iuuant?  
Ascen-

Zic 7704 GK I

Ascendis cathedram, defendis, quae modo dicis.  
Hinc Tibimet merito grata brabea manent,  
Sum Pylades fidus, maneas tu fidus Orestes,  
Haec cum discedas, optime amice rogo.

*Amico suo, magno cum plausu disputanti,  
adiicere noluit, debuit*

MATTHIAS FVCKEL Mülluerstad. Thür.  
SS. Theol. Stud.

**M**unzeri linguam nobis ostendis ineptam,  
Eloquii culta fertilitate Tui.  
Praemia digna feres: Deus en conatibus adstat,  
Et super extensa Te teget ipse manu.

Ita Nobilissimo, & eruditissimo Auctori  
applaudebat

BENIAMIN CAPSIVS, Werningshufa Thür.  
SS. Theol. Stud.



*Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the other side of the leaf.*

M.C.



ULB Halle

3

001 974 599





Q. N. 120, 8.

Zc  
7704

AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
**FRIDERICI AVGVSTI**  
ELECTORATVS SAXON. HEREDIS

**THOMAE  
MVNZERI**

ELOQVENTIAM INEPTAM

PRAESIDE

**IO. GVILELMO BERGERO**

ELOQV. ET HVMANIT. P.P. ET ALVMNORVM  
REGIO-ELECTORALIVM EPHORO

DIE *1714* IVLII A. M DCC XIV.

GENERATIM EXPONET

RESPONDENS AVCTOR

**M. CHRISTIANVS GVIL. AVRACHIVS,**

MOLHVSINVS.

VITEMBERGAE SAXONVM  
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI.

BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

